

Casus Moralis

Titius, Melitensis, in America Septentrionali migratus, matrimonium contrahit cum Caja Melitae sita. Matrimonio ita celebrato, auctoritas civilis localis licentiam Cajae denegat in Americam migrandi. Titius vero, prolem habere cupiens, proprium semen, nova methodo scientifica elaboratum et sigillatum, uxori suae mittit, quod, medico interveniente, in vaginam ejusdem uxoris mittitur et prolis concipitur. Tribus postea annis a nuptiis transactis, Titius uxori suae scribit atque intimat quod si ipsa infra duos menses in Americam non pergeret illam relinqueret et matrimonium civile in America contraheret. Et ita factum est.

Matrimonio civili celebrato, Titius in morbum contagiosum incidit, quod cum notum sit Cajae uxori, ipsa Caja Titio conjugii valedicit et aliud matrimonium promittit Sempronio Titii consobrino (cugino) cum quo jam in publico et notorio concubinato vivit.

QUAERITUR:

1. Quid requiratur ut matrimonium inter sponso in diversis regionibus sitos, valide et licite celebrari possit.
2. Quid de natura et licitate foecundationis artificialis dicendum.
3. Utrum Caja, omnibus consideratis, aliud matrimonium cum Sempronio contrahere possit.

SOLUTIO:

Ad. I. — Ad quodcumque matrimonium valide contrahendum “necesse est ut contrahentes praesentes sint sive per se ipsi sive per procuratorem” (1), non autem per epistolam uti ante Codicem. Sed ut matrimonium per procuratorem valide et licite celebrari possit, quaedam conditiones in Canone 1089 recensitae observari debent; et sunt sequentes:—

a) *Ad validitatem*: 1) ut procurator speciale mandatum acceperit ad contrahendum cum determinata persona et quidem subscriptum a mandante *et* vel a paroco aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. Et si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

1 Can. 1088, §1.

2) Ut mandans mandatum non revocaverit ante contractum matrimonium, neque in amentiam inciderit. Secus matrimonium invalidum est, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit.

3) Ut procurator per se munere suo fungatur. Igitur nulla est delegatio a procuratore, vel de consensu mandantis, alteri facta.

4) Appositio diei, mensis et anni, *probabilius* ad validitatem mandati requiritur (2).

b) *Ad licitatem*: 1) Ut ex justa causa fit, ut in casu nostro.

2) Ut de authenticitate mandati constet.

3) Et-si tempus suppetat, licentia Ordinarii habita sit (3).

4) Ut serventur statuta dioecesana si quae insuper hac de re existant; quae in nostra dioecesi nulla habentur.

Iis igitur omnibus servatis, matrimonium inter Titium et Cajam ita celebratum, nil vetat quominus validum et licitum sit. Sicut alii contractus, valet etiam matrimonium per procuratorem initum quod anglice '*by proxy*' audit. Notandum tamen quod leges civiles aliquando matrimonium per procuratorem non admittunt, ita v.g. Status foederati Americae Septentrionalis, saltem quoad suos cives. Quoad extraneos actualiter residentes in istis locis, sententia data a Iudice foederali Lowell, die 29 Junii 1924, validitatem matrimonii inter duos lusitano agnoscebat (4).

Ad II. — Saeculo elapso ad finem vertente, Spallanzani, sacerdos Mutinensis, in scientiis naturalibus celeberrimus et in Papiensi Universitate professor, publici juris fecit novam theoriam, quod scilicet animalia possunt foecundari absque carnali maris et feminae commixtione, supplente artificiali methodo, qua per syphunculum masculinum semen in foeminea organa introducatur, dixitque se rem in cane expertum esse. Deinde medici hanc praxim applicaverunt humanae generationi et quidem cum felici exitu. Hodie nemo negat prolem exinde haberi posse.

Modus tamen hujusmodi foecundationis varius recensetur h.e. :—

1) vel semen ex masturbatione ope syphunculi a medico colligitur et immittitur in vaginam usque ad collum uteri;

2) vel vir coit in alio vase, extra naturale, et semen colligitur uti supra et introducitur in cavitatem vaginae;

2 Affirmat F. CAPPELLO, *De Sacramentis*, 1947, ed. V, vol. V, n. 619.

3 Can. 1091.

4 WOYWOOD-SMITH, *A Practical Commentary on the Code of Canon Law*, New York, 1948, vol. I, n. 1092.

3) vel facta normali cōpula, assumitur semen et melius introdu-
citur in vaginae cavitatem.

Liceitas vero foecundationis respicere tantum potest semen pro-
prij mariti et non aliorum, uti patet. In casu, foecundatio artificialis
vel supplet naturam vel adjuvat. Si supplet, foecundatio artificialis est
omnino illicita uti patet ex responsione S. Officii 25 Martii 1897, ex
claris verbis Encyclicae *Casti Connubii*, 31 Dec. 1930 et ex allocutione
Papae Pii XII, 29 Sept. 1949, occasione congressus medicorum catholi-
corum et tandem ex allocutione ejusdem Pontificis 29 Dec. 1951 ad
obstetrices habita. Si vero *adjuvat*, foecundatio licita est sive in se,
sive in modo, verificatis verificandis.

Ex dictis sequitur quod primus et secundus modi foecundationis
artificialis supra recensiti sunt omnino illiciti, et ratio est quia copula
matrimonialis proprie dicta non habetur; tertius modus non videtur
reprehensione dignus quia copula naturali modo peragitur. Casus hic
esset v.g. si vir intra vas vix posset seminare propter arctitudinem
vaginae. Notandum tandem quod si semen sumitur ex pollutione invo-
luntaria vel immediate ex epididymo videtur saltem quod licita etiam
evaderet foecundatio artificialis.

Ad. III. — Si matrimonium inter Titium et Cajam invalide, praeser-
tim propter omissas condiciones in procuratore requisitas, contractum
fuit, nullitas matrimonii coram tribunali ecclesiastico probata, nil vetat
quominus Caja aliud matrimonium contrahere possit. Si valide, novum
matrimonium evaderet aliquantulum difficile, at non omnino impossi-
bile. Etenim matrimonium Cajae cum Titio consummatum non fuit,
quamvis ab eo prolis nata sit (5). Ut consummatum dicatur requiritur
copula matrimonialis ad quam ordinatur ipsum matrimonium et qua
conjuges fiunt una caro (6). Nequidem dicendum esset matrimonium
consummatum cum maritus semen ad os vaginae tantum apponeret etsi
exinde, forsan, prolis nasceretur; a fortiori matrimonium consumma-
tum dicendum non est per foecundationem artificialem quamvis AUER
sententiam contrariam teneat (7). Ratio quam affert idem auctor, quod
nempe foecundatio artificialis ignota adhuc erat codificantibus, falsa
est.

5 Haec pars casus est potius theoretica quam practica, praesertim quia
spermatozoida in 10° et 15° gradu caloris C. posita vix ultra 72 horas
suam capacitatem generativam conservant. Sed quod hodie nobis
videtur improbable, tractu temporis, evadere potest probabilissimum.

6 Can. 1015 §1.

7 AUER, S., S.J., *De Virtute Castitatis ejusque laesionibus*, Oeniponte,
1920, n. 136.

Cum igitur matrimonium de quo in casu consummatum non fuerit, per dispensationem R. Pontificis ex justa causa concedendam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita, dissolvi potest⁸⁾. Ergo Caja potest dispensationem a suo matrimonio rato a R. Pontifice petere, quam dispensationem Pontifex concedere solet justa causa interveniente. Qualis autem justa sit causa, prudentiae ejusdem R. Pontificis remittitur. Doctores plures hujusmodi causas enumerant quarum praecipuae sunt: 1) animorum dissociatio, quin affulgeat futurae reconciliationis spes; 2) timor probabilis magni scandali futuri, discordiarum et rixarum inter consanguineos; 3) probabilis suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae; 4) divortium civile ab altera parte obtentum cum periculo incontinentiae alterius **partis innocentis**; 5) semiplena probatio defectus consensus aut alterius impedimenti; 6) morbus contagiosus superveniens; 7) periculum perversionis, ut si qua cum heretico contraxerit; 8) si quis aliud matrimonium equidem nullum deinde inierit a quo se aliter liberare nequeat e.g. matrimonium civile; 9) tandem mutuus consensus. Uti patet diversae ex hisce causis in nostro casu verificantur ideoque dispensatio facilius obtineri potest.

Sed "data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato — ait Canon 1053 — secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3." h.e. quando non agitur de machinatione mortis sive unius sive utriusque partis. Clarius: per dispensationem super rato cessat impedimentum criminis primae speciei tantum, scilicet quando habetur adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii; alia impedimenta non cessant si quae sunt. Ergo Caja antequam ad novas nuptias transeat, aliam dispensationem obtinere debet ab impedimento affinitatis in 2^o gradu lineae collateralis. Titius enim et Sempronius de quo in casu consobrini sunt (9). Impedimentum Publicae Honestatis per publicum vel notorium concubinatum in casu nostro non tenet, quia hoc impedimentum "dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa" (10), et non inter ipsos sponso.

A. TABONE,

8 Can. 1119.

9 Cfr. Can. 1077 cum can. 97.

10 Can. 1078.